



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

De Controversijs Polemicis, & Scholasticis, etiam modernis

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Hæresis Anglicana Protestantium, Puritanorum, Independentium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40853

294 *Tract. 3. Art. 5. Sectarum Singularum*
tantum figurativè : quod est omnino contra
Lutherum & Lutheranos , quorum dogmata
propria, ut dixi, reperiuntur in hujus Tractatus
sine expressa prout ab initio damnata fuerunt.

*Hæresis Anglicana Protestantium , Puritanorum ,
Independentium.*

Protestantes in Anglia Religionem sibi fa-
bricarunt à cæteris Protestantibus Germa-
niæ in multis diversam , uti supra cap 2. ostendi
eos nec quidem in articulis fundamentalibus
per omnia convenire. Est autem Secta Prote-
stantium conflata ex variis dogmatibus partim
Lutheri, partim Calvini , quibus & alia sunt ad-
juncta dogmata ritusque ab utroque diversi.
Nam primò, Protestantes Regem statuunt esse
Caput supremum Ecclesiæ Anglicanæ. 2. Ad-
mittunt Ecclesiam debere constari ex Archiepis-
copis, Episcopis, Decanis, alijsque gradibus Ec-
clesiasticæ hierarchiæ. 4. Varios recipiunt Ca-
tholicorum antiquos ritus, altaria , cereos , su-
perpilia; non tamen realem Christi præsentiam
in cæna Eucharistica. Estque hæc in Anglia Re-
ligio Regis , & Aulæ , cui per varias leges co-
nantur reliquas Sectas conformare.

Puritani è contra sunt rigidi Calvinistæ , nec
nisi purum Dei verbum juxta Calvini placita se
admittere profitentur. Hi in negando Regis pri-
matu : in excludendis gradibus Hierarchiæ Ec-
clesiasticæ : in eliminandis omnibus Ecclesiæ
Romanæ ritibus, Protestantibus è diametro op-
ponuntur. Qui & alio nomine *Presbyteriani* nun-
cupantur : eo quod velint Ecclesiam suam , ex-
clusis Episcopis ac Ministris , à solis Senioribus
laicis administrari.

Inde-

Independentes, qui maximè Cromuelli tempore emerferunt, in hoc Puritanis ac Proteftantibus adversantur, Quod neque Reges, neque Episcopos, neque Seniores ad Ecclesiæ Regimen admittant. Sed velint quemlibet sibi Ministrum esse: ac quemvis sine ulla personæ ac sexus distinctione esse legitimum verbi Dei præconem, idque quovis loco, ac tempore, dum sentit se à Spiritu Sancto ad prædicandum Dei verbum impelli. Ac proinde templa, altaria, pulpita, rem frustraſam, & è medio tollendam existimant. Pro suæ verò Sectæ defensione contra reliquos Sectarios hoc argumentum validè intorquent: Vobis omnibus licuit Ecclesiæ Romanæ antiquos ritus ac Caremonias omnes evertere ac reformare, quibus centenis annis ante vos usa fuerat. Ergo nobis multò magis licebit vestros ritus, Ecclesias, ac Caremonias abolere, quæ tantum de novo emerferunt, neque parem cum Ecclesiâ Romana auctoritatem, aut antiquitatem obtinuerunt. Videant quæso Proteftantes, & Puritani, nisi à suo errore recedant, quo pacto ab hoc Independentium argumento sese expediant.

Annotatio particularis ad sectam Anglicanam, aliasque modernas.

VOx una & doctrina communis Sectariorum hujus temporis hæc est: Ecclesiam Romanam à vera fide defecisse, & in gravissimos errores prolapsam per mille ducentos annos. Et hanc esse causam cur clerus & populus Angliæ, Hollandiæ, & Germaniæ ex parte non modica, Ecclesiam Romanam deseruerit, & oppugnare cepit. Atqui non hanc, sed longè aliam